

nostrâ plantâ alienum esse, et forsân *S. hyoseridifolii* (Hornem.) *Spr.* veri synonymam. In re tam incertâ, difficultatem minùs nomine planè novo quàm veteri incerto augeri putavi.

GEN. TOLPIS, *Gaert.*

38. *Tolpis crinita*, *Prodr. MS.*—*Tab. II. ff. 1—3.*

T. caule ramoso: ramis virgatis: foliis radicalibus humifusis, solo adpressis, plerumque sinuato-pinnatifidis, sub-canescens; caulinis angustis, lanceolato-linearibus: bracteis setaceis, abbreviatis, ad apices pedunculorum infernè nudorum congestis: seminibus (omnibus, radii sc. conformibus) sub-quadrissetis.

Crepis crinita, *Sol. MSS. et Herb. Banks!*

Crepis incrassata, *Herb. Banks.* “*Insulæ Azores Fayal Mess^{rs}. Forster!*”

Hab. in Maderæ collibus apricis.

GEN. CREPIS, *Spr.*

39. *Crepis pectinata*, *Prodr. MS.*

C. caule frutescente, ramoso, foliato; ramis diffusis, virgatis: foliis flaccidis, tenuissimè et profundè divisis, pectinato-pinnatifidis; laciniis distantibus, elongatis, lineari-filiformibus, suprâ glabris, subtùs subfarinosis: pedunculis proliferis, supernè incrassatis, squamosis, squamisque minutis, erectis, anthodioque farinoso-albescentibus.

Crepis tenuifolia, *Sol. MSS. et Herb. Banks!* non *Willd.*

Hieracium fruticosum foliis tenuissimè coronopi modo divisis. *Sloan. Cat. 123.*—*Hist. Jam. p. 19. t. 5. f. 1, 2.* (Icon. mala; Descr. opt.)

Hab. in rupibus apricis Maderæ ubique.

Affinitate et habitu *Crepidì succulentæ Hort. Kew:* (*C. coronopifoliæ Desf.:*) proxima; cujus speciei, præ ceteris polymorphæ, (in Maderâ vix minùs vulgaris), varietatem esse meram alia forsân dies docebit. In illâ tamen, quamvis folia aliquando profundius pinnatifida

quàm in statu normali, nunquam ut in *C. pectinatá* nostrâ ferè filiformia et tenuitèr divisa, laciniis elongatis linearibus (ferè ut in *Coreopside tinctoriá Hort.*) videntur.

OBS. *C. succulenta Ait.* et *C. pectinata nob:* genus *Tolpidem* cum *Crepide* artissimè conjungunt.

40. *Crepis macrorrhiza, Prodr. MS.*

C. glaberrima: radice perenni, crassâ, carnosâ: caulibus solidis, foliatis, simplicibus, supernè paniculatis: foliis omnibus indivisis, oblongis, dentatis, sessilibus, nitidis, sub-carnoso-coriaceis: panicula largâ, multiflorâ; pedunculis supernè sub-incrassatis, squamosis; anthodiis sub-farinoso-pubescentibus.

Crepis macrorrhiza, Herb. Banks: et Sol. MSS! Hook. in Bot. Mag. t. 2988!

Hab. in Maderæ rupibus.

41. *Crepis? andryaloides, Prodr. MS.*

C? glanduloso-hispida: radice carnosa, bienni: caule sub-fistuloso, foliato, simplici, supernè laxè paniculato, hispido: foliis omnibus indivisis, oblongis, acuminatis, undulatis, remotè runcinato-dentatis, sub-sinuatis, sessilibus, hispidis: floribus laxè paniculatis, remotis: pedunculis nudis, gracilibus, divaricatis, laxis, anthodiisque cylindricis, glanduloso-hirsutissimis: involucro erecto, persistente.

Hab. in convallibus Maderæ.

Semina matura non vidi; pappus in immaturo reverà sessilis: sed cum in veris quibusdam *Borkhausiæ* speciebus pappus in semine immaturo omninò *sessilem* vel *subsessilem* videre licet, in nostrâ forsan plantâ pappus seminis maturi stipitatus evadit.

GEN. BORKHAUSIA, *Böhm. Spr.*

42. *Borkhausia laciniata, Prodr. MS.*

B. radice annuâ: caule erecto, stricto, ramoso, paniculato, sub-puberulo, nitido: foliis laciniato-pinnatifidis, vel runcinato-dentatis, sinu-